



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Bonae, Eminentissimi S. R. E. Titulo S. Bernardi
Ad Thermas Cardinalis Presbyteri Opera Quotquot
hactenùs separatim edita fuerê Omnia**

Bona, Giovanni

Antverpiae, 1677

§. 2. De celebratione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10805

Isti revera gratiam Dei in vacuum recipiunt, nec de mensa cœlesti fructum reportant: quia tantum Dominum ad se venientem indignè excipiunt, nec referentur, aut gratias agunt, imò protinus ab eo recedunt ipsamque contristant, Majestatem ejus, & incomprehensibilem dignitatem parvi pendentes, nec advertentes quanta sit fœditas, vilitas, & miseria ipsorum, ad quos venire dignatus est. Quod si adhibita omni diligentia ad dignè & devotè celebrandum contingat, aliquem hujus convivii fructibus minimè perfrui, id admirabili sapientiæ Dei adscribendum est, qui hoc permittit, ut suæ industriæ non tribuat homo hoc gratiæ donum, sed cautè illud custodiat, & se illo semper indignum profiteatur.

C A P U T VII.

Praxis celebrandi, cum quis prolixius orare non potest.

§. I.

De Preparatione.

Quamvis humana negotia divinis functionibus nullo modo æquari, necdum præferri debeant: quia tamen sunt aliqui Sacerdotes publicis utilitatibus inservientes, qui necessariis & inevitabilibus occupationibus ita aliquando detinentur, ut prolixius orare nequeant, brevem illis & expeditam praxim proponere necessarium duxi, quâ uti possint, cum celebrare voluerint, ne minus dignè divinum sacrificium offerentes, ejus fructibus priventur. Hæc autem tria tempora complectitur, id quod Missam antecedit, id quo perficitur, & quod proximè subsequitur.

Ante Missam præmittenda præparatio duplex, remota & proxima. Pro remota hæc servanda. Vespere præcedenti cogitet, se die crastinâ hostiam salutarem omnipotenti Deo oblaturum, eique cogitationi indormiat. Addat brevem aliquem affectum reverentiæ, amoris, & desiderii. Sequenti die in eadem cogitatione & affectu evigilet; caveatque diligenter, ne animus ita se negotiis immergat, & ad externa dilabatur, ut, cum tempus celebrandi advenerit, ad se revocari & recolligi non possit. Proximè ante sacrum terrenis omnibus cogitationibus abjectis, omnique sepositâ rerum agendarum sollicitudine, mentem erigat ad cœlestia. Perpendat quâ devotione se sen-

tiat ad celebrandum incitari, quo sine moveatur. Conscientiam excutiat, & si aliquam ei maculam inesse deprehenderit, Sacramentali confessione eluat cum intimo doloris sensu, & firmo proposito emendationis. Tum breve aliquod tempus sumat, quo fidem mysterii excitet, charitatem accendat, passionem Domini commemoret, dirigat intentionem, & Dei opem sibi & aliis flagitet. Auxilium quoque B. Virginis & Sanctorum ferventer & humiliter implorabit. Horum actuum & affectuum formulas supra descripsimus c. 4. quas sibi quisque in brevissimas aspirationes redigere poterit pro suo capu & devotione.

§. II.

De Celebratione.

Missæ celebrationi tres comites adjunges, reverentiam, attentionem, & devotionem. Reverentia omnes motus exteriores componit, ut modestè graviterque fiant, præscriptis cæremoniis exactissimè servatis, summâque adhibita humilitate, quæ omninò necessaria est Hostiam immaculatam offerenti in conspectu Dei & Angelorum. Attentio mentem coërceat, & iis quæ aguntur assigit, ne ad alia desinat & evagetur. Devotio voluntatem inflammat, ne languidè & ex consuetudine sacra operetur, sed cum ingenti fervore, solertique studio Deum placandi & colendi. Quia verò animus parum tenax recti facile distrahitur, quibusdam quasi vinculis adstringi debet, & in se retineri, qualia sunt à me supra proposita capite quinto, quæ ut ibidem notavi, brevitati Missæ nullum afferunt impedimentum. Sunt etiam aliqui, qui in septem veluti stationes Missam partiuntur, ut in singulis congruos excitent affectus, & renovent attentionem. Prima dicitur *Contritionis*, quæ ante gradus Altaris peragitur, ubi Sacerdos tanquam reus se summi Judicis tribunali corde contrito præsentat, & generali confessione noxas expiat. Secunda *Glorificationis*, quæ Missæ introitu, Angelorum cantico, & reliquis usque ad Epistolam continetur. Tertia *Doctrinæ* sive instructionis, quæ Epistolam & Evangelium complectitur, monita scilicet salutis à Prophetis, ab Apostolis & ab ipso Christo nobis tradita, & cum ingenti reverentia suscipienda. Quarta *Fidei*, quæ Symbolo absolvitur. Quinta *Oblationis*, Hostiæ salutaris oblationem continens, omniumque fidelium, pro quibus oramus & offerimus commemorationem.

Sexta

Sexta Communionis ab illis verbis *Communicantes* usque ad post Communionem, quâ Sacerdotis animus in sublime erigitur, variisque affectibus ad divinam unionem, quæ communionem peragitur, se disponit. Septima *Gratiarum actionis* à post communionem usque ad finem. Porro in singulis stationibus variis affectus excitari possunt, raptim quidem & breviter, sed breviter intensio affectuum, atque ordo devotionis componantur.

S. III.

De gratiarum actione.

Quatuor post Missam præstanda sunt, quorum primum & præcipuum est Gratiarum actio, secundum Oblatio, tertium Petitio, quartum Propositum dignè coram Deo ambulandi. Gratiarum actio quantum exactius fiet, tanto erit copiosior oblatis Sacrificii fructus. Sicut enim ingratitude fontem divinæ largitatis exsiccat, ita gratitudo torrentem aperit cælestium benedictionum. Potest autem hic affectus multis & variis modis excitari, quos unctio suggeret, & ingeniosa pietas excogitabit. Hoc unum est, quod à nobis expectat Deus, ut grati simus, & memores beneficiorum ejus. Sequitur oblatio, quâ par pari Deo reddere Sacerdos potest, Filium ejus Unigenitum & consubstantialem ei offerendo. Se ipsum quoque offeret Patri & Christo holocaustum acceptabile in odorem suavitatis: & quod gravior sit oblatio, merita ei addet B. Virginis & omnium Sanctorum, ac ipsius Christi, qui est salus, redemptio, & tota fiducia nostra. Quia verò cum Filio omnia nobis Pater donavit, ipsum pro suis & aliorum necessitatibus humiliter & ferventer deprecabitur. Horum actuum formula in promptu habenda erit, potestque ex his excerpti, quæ superiori capite descripta sunt. Tandem concludet efficaci proposito eundi de virtute in virtutem in conspectu Dei, donec ad apicem Christianæ perfectionis perveniat.

S. IV.

Aspirationes post Missam sæpe per diem repetendæ.

Quis me separabit à charitate tua Domine Deus meus? Non timor mortis, quia tu es vita mea: non amor mundi, quia ipsum sperno

& omnes pompas ejus: non tribulatio, quia tu dum tribulor mecum es: non fames, non nuditas, non paupertas, quia tu es cibus meus, operimentum meum, & divitiæ meæ: non persecutio, non gladius, quia hæc dulcia mihi sunt propter te: non creaturæ, quia ante te nihil sunt.

Quando educes me de isto carcere, cui te relicto adhæsit anima mea? quando trahes me post te captum specie tuâ & pulchritudine tuâ? Quando mihi & toti mundo mortuus ero, ut in te solo vivam, & tu vivas in me? O si semper te amarem, te semper possiderem, à te nunquam discederem, in te prorsus converterer?

Quid possum extra te desiderare, cum in te sint omnia bona? Nimis avarus est, cui tu non sufficis.

O amor, qui omnia potes, quando facies ut diligam te toto corde, totâ animâ, totis viribus?

Quid mihi est in Cælo, & à te quid volui super terram? Jam plenum est desiderium meum, plenum gaudium cordis mei, quia tu es plenitudo mea, omne bonum & desiderium meum.

Resice Domine esurientem animam meam: accende frigiditatem meam igne amoris tui, illumina cæcitatem meam claritate præsentis tuæ.

Verte mihi omnia terrena in amaritudinem, omnia infima & creata in contemptum & oblivionem.

Erige cor meum ad te in Cælum, & ne permittas me vagari super terram.

Penetret quæso hujus Sacramenti virtus omnia intima mea, & quidquid in me pravum, quidquid vitiosum est, mortificet & eradicet.

In te Jesu suavissime, sit omnis delectatio mea: tædeat me gaudii quod est sine te, amara mihi sit omnis quies, quæ non est in te.

Emitte ex te, benignissime Jesu, amoris tui radios, qui me succendant, & quidquid terrenum in me est, comburant & consumant, ut igne inextinguibili charitatis tuæ ardeam, & verus in me homo totus deficiat.

Utinam me rapiat ignita vis amoris tui, quæ me transformet in te, & in te absorbeat, ac me tecum unum efficiat!